ut nepos. Synonyma sunt plura nomina idem significantia
et hec in propriis et appellativis. in propriis ut marcus tullius
in appellativis ut mucro spata ensis gladius.
Species tamen primitivorum nominum quam derivativorum sunt
iste. Adiectivum. ad aliquid dictum. quasi ad aliquid dictum.
Gentile patrium. interrogativum infinitum. relativum. col-
lectivum dividuum. facticium. generale speciale numerale
ordinale absolutum temporale et locale. Adiectivum
nomen est id quod adicitur propriis vel appellativis nominibus et significat
laudem vel vituperium medium vel accidens. laudem ut iustus
vituperium ut iniustus. medium ut magnus. accidens ut albus niger
et niger currens. Ad aliquid dictum nomen est illud quod sine intel-
lectu illius ad quod dicitur proferri non potest. ut pater et filius
dominus servus. magister et discipulus. Quasi ad aliquid dictum nomen
est id quod contrarium habeat aliquid quod in se semper sibi adheret
tamen ab eo diminutionem non accipit ut dies et nox
Gentile nomen est illud quod gentem vertex et similia.
significat. ut grecus et latinus. Patrium nomen
est id quod a patria sumitur. ut a roma romanus.
Interrogativum nomen est id quod interrogative ponitur ut quis qualis quantus.
Infinitum nomen est id quod infinitive ponitur. ut quisquis vel
q. Relativum nomen est id quod relative ponitur. ut qui.
Collectivum nomen est id quod in singulari numero multitudinem
significat. ut populus plebs turba concio. Divi-
duum nomen est id quod habet relationem a duobus ad singulos.
ut uterque et alter. vel ab amplioribus duobus ut omnis et
quisque. vel ad plures per pares numeros ut bini et
terni quaterni. Facticium nomen est id quod ad imitationem
soni inventum est. ut taratantara tintinabulum.
Generale nomen est id quod per species dividitur ut animal et corpus